



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

Ferdinandvs Dei Gratia S. Coloniensis Ecclesiae Electvs Et Confirmatvs
Archiepiscopvs, Sacri Romani Imperij per Italiem Archicancellarius, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761



F E R D I N A N D V S
DEI GRATIA S. COLONIENSIS
ECCLESIAE ELECTVS ET CONFIR-
MATVS ARCHIEPISCOPVS, SACRI ROMANI IM-
perij per Italiam Archicancellarius, & Princeps Elector;
Episcopus Leodiensis & Monasteriensis, Administrator
& Coadiutor Ecclesiarum Paderbornensis, Hildeshe-
menfis, Berchtesgadenfis, & Stabulensis; Comes Palati-
nus Rheni, vtriusque Bauariae, Westphaliae, Angariae,
Bullionis Dux, Marchio Francimontensis, Co-
mes Loffensis, &c. Legatusque Se-
dis Apostolicæ natus,

VENERABILI CLERO SVO DIOECE-
sis Colonienfis Salutem in Domino.



CVM multa sint, quæ Sanctam Ecclesiam
Catholicam stabilem atque decoram red-
dunt; tum ordo bonus, qui in ea reperitur,
ac decens rerum sacrarum dispositio ad
firmitatem eius venustatemque facit plu-
rimùm. **C**ertè Salomon Sponsam mysti- *cant. 6.*
cam, quia vt castrorum acies ordinata est, vocat terribi-
lem; D. Paulus ex ordinis decore apud Colossens. gaudio *Coloss. 2.*
se affectum perhibet, ac Corinthijs, vt in Ecclesia honestè *1. Cor. 11.*
omnia, & secundùm ordinem fierent, paternè præcipit.

* 2

Neque

Neque istud abs re, quando ordo omnis, in se pulcher est
& elegans; confusionem, quæ venustissima deturpat, ex-
cludit; & homines etiam ab religione vera auersos ædifi-
cat, & in admirationem sui adducit, non secus atque
3. Reg. 10. Reginam Saba ad aulæ Salomonis splendorem & mini-
strantium ordinem obstupuisse legimus. **V**erùm cum
fructus isti ordinis in omnibus Ecclesiæ ministerijs, ac in
primis in doctrinæ Christianæ explicatione ac disciplinæ
vsu, ad conseruandam fidei integritatem honestatemque
morum, multum valeant; tum vel maximè in ordinata
diuinorum Sacramentorum, aliorumque externorum ri-
tuum administratione habere momenti plurimum res
ipsa docet. **S**acramenta visibilia sunt signa inuisibilis gra-
tiæ, quam animis fidelium inferunt. **C**erimoniæ Sacra
ornamenta sunt, quibus illa ipsa Sacramenta decorantur
ad maiorem ex ijs concipiendum deuotionem ac emo-
lumentum. **Q**uare si in his populo dispensandis formam
ac modum conuenientem, non adhibeas, omnem propè
eorum & dignitatem, & utilitatem sustuleris. **V**t proinde
mirum non sit SS. Apostolos diligètem dedisse operam,
quò in Sacramentorum dispensatione modum debitum
2. Cor. 4. atque ordinem studiosè conseruarent. **C**ertè D. Paulus,
tanquam minister Christi & dispensator mysteriorum Dei
2. Cor. 11. fidelis; quæ apud Corinthios in eroganda Eucharistia
consuetudine vitiosa ac corrupta gerebantur, non solum
magno zelo emendanda corrigendaque duxit; sed & cæ-
tera, quæ ad decoram tanti mysterij actionem facerent; cum,
inquit, venero, disponam. **H**inc iam inde ab Apostolo-
rum

rum ætate cura de forma exhibendi Sacramenta, semper
 Episcopis incubuit. Etenim vt in eorum Canonibus vni- Can. 40.
 uersè cautum est, ne quid presbyteri & diaconi præter
 Episcopum agere pertentent: sic Tertullianus disertè de Tertull.
lib. de Ba-
ptif
 Sacramento baptismi: Ius, inquit, habet dandi baptif-
 mum summus Sacerdos, dehinc presbyteri & diaconi,
 sed non sine facultate Episcopi. **H**inc in Concilio Tole- Tolet. 4.
c. 25.
Dist. 38. c.
Quando
presbyte-
ri.
 tano constitutum, vt quando presbyteri in Parochijs or-
 dinantur, libellum Officiale, hoc est, qui officia eccle- Lateran.
3. c. 27.
De atæ.
& quibus
Ordin. c.
Cum sit
ars.
 siastica continet, ab Episcopo accipiant, vt ad ecclesias
 sibi deputatas instructi accedant. **L**ateranense etiam ge-
 nerale sub Innocentio III. districtè præcepit, vt Episcopi
 promouendos in Sacerdotes diligenter instruant, & in-
 forment, vel per seipsos, vel per idoneos viros super diui-
 nis officijs, & ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea ritè
 valeant celebrare. **A**tq; his rationibus maiorumq; decre-
 tis prædecessor noster, ac patruus felicis recordationis Er-
 nestus permotus iam pridem ad laborauit, ne in tanti mo-
 menti negotio suo deesset muneri. **I**taque vt pro Eccle-
 sijs alijs libri, quos olim Officiales, Rituales, Agendariaq;
 vocabant: nunc Agendorum ecclesiasticorum, Pastora-
 lis & Sacerdotalis, vsitatissimeq; Agendæ nomine nun-
 cupant, conscripti euulgatiq; sunt: ita & vt pro Archi-
 episcopatu Colonienfi opus simile extaret, piè ac pru-
 denter moliri cœpit. **C**æterùm carnis illo viam vniuersæ
 ingresso negotium hoc ad finem optatum perductum
 non est. **Q**uando itaq; in nos cura rem tam necessariam
 atque fructuosam perficiendi recidit, quæ in vsum hunc

per Theologos, quibus labor is erat commissus, pridem congesta fuerant, conquiri, in ordinem redigi, & plurimis, quæ desiderabantur, compleri perficique mandauimus. **H**oc opus iam diuina gratia absolutum publicum facimus. **Q**uid in eo ad Parochorum aliorumque ministrorum usum sit præstitum, Index, qui Præfationi huic subiectus est, lectori monstrabit. **B**enedictiones rerum certarum vsitatæ, item processionum Ecclesiasticarum modi, cum ritibus & precibus funeralibus, quæ plerique in hunc librum referunt, ex Missalibus, Breuarijs, & libello Funerale, commodius petentur. **V**t ergo Pastoralis huius fructus ad Ecclesiam vberior perueniat, volumus, vt præter librum Officialem hunc, nullus huius generis liber in Diocesi nostra in usum publicum adhibeatur; verum omnibus cæteris sublatis interdictisque Agendam hanc solam vsurpari, publicè ac retineri seriò mandamus. **D**istrictè etiam sub virtute obedientiæ, præcipimus omnibus Prælati, animarum curatoribus, eorumque vices gerentibus, quocunque illi censeantur nomine, vt hunc Agendorum librum in suis quique Ecclesijs habeant, eoque solo in Sacramentis dispensandis; sacris officijs ac ceremonijs perficiendis vtantur. **Q**uod vt omnes obedienter præstent hortamur, & in Domino requirimus Archidiaconos nostros, & quibuscunque Ecclesias visitandi munus incumbit, vt ad hanc rem oculos intentè adijciant, & ne qua Parochia hac careat Agenda, aduigilent. **A**rchipresbyteri etiam seu Decani Christianitatum in Capitulis, & vbi oportunum, sedulo suos admo-

admo-

admoneant, vt Pastorale hoc Parochi eorumque Vicarij non habeant modò ; sed & diligenter euoluant, sibi-
que vsu & lectione frequenti familiare reddant. **F**ecerint denique operæpretium illi , qui præsumt examini
eorum, qui ad Pastoratus ordinandi, vel instituendi sunt,
si ex libro hoc quæstiones practicas candidatis propo-
nere non intermittant, quo explorent, quid ad agendam
animarum curam notitiæ adferant, ne necessarijs desti-
tutos subsidijs inidoneos ad tam arduam functionem
admittant. **S**i quæ Parochiæ inuentæ fuerint hoc Pa-
storali carere, aut in vsu non habere, in earundem Pa-
stores, & quoscunque alios hac in re culpabiles, pro
qualitate contumaciæ, aut negligentia animad-
uersione debita procedi faciemus. **D**atum
Brulæ, Anno Domini millesimo
sexcentesimo decimo quarto,
die vltima Iunij.



I N D E X